Quelle: https://manuscripta.at/?ID=743
Copyright: Klosterneuburg, Augustiner-Chorherrenstift

apperiendo fideliter: quia scriptura que a prophetis ministrata ē eis
salubris erat ad haustū sapientię celestis. et ad operū castigatio
nē utilis. Impleuerunt eas usq; ad summū. quia recte intellex
erunt nullū fuisse tempus sclī a scīs alienū doctoribus. q̄ siue
uerbis siue exemplis siue etiā scriptis uiā uitę mortalibus
panderent. Et dicit eis. Ite haurite nunc. et ferte architricli
no; et tulerunt. Architriclinus aliquis legis peritus illius tem
poris est. fortasse nichodemus uel gamaliel uel discipulus
tunc eius saulus. nunc autē magister totius ęcclę paulus
apostolus. et dū talibus uerbū euangelii creditur: qd̄ in litte
ra legis et prophetię latebat occultū. uinū utiq; architriclino
de aqua factū propinatur. Unde conuenienter perhibetur qd̄ archi
triclinus uocato sponso dixerit. Omnis homo primū bonū ui
nū ponit. et cū inebriati fuerint tunc id qd̄ deterius ē. tu
seruasti uinū bonū usq; adhuc. quia doctorū est cognoscere
distantiā legis et euangelii. ueritatis et umbrę. cunctisq;
ueteribus institutis. cunctis regni terreni promissis. nouā euan
gelicę fidei grām et perpetuā celestis patrię dona preferre.
Hoc fecit initiū signorū ihc in chana galileę. et manifestauit
glām suā. Manifestauit hoc signo. quia ipse erat rex glorię.
et ideo sponsus ęcclę qui ut homo communis ueniret ad
nuptias. sed quasi dns cęli et terrę elementa prout uoluisset
converteret. Pulchra autē rerū conuenientia qui initiū sig
norū que mortalis adhuc mortalibus erat ostensurus aquā
conuertit in uinū. ipse initiū signorū que inmortalis iam
post resurrectionē effectus inmortalis. uitę studia sola sectan
tibus ostenderet. carnalē prius et quasi insipidā mentē